

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

XXVIII. De capitulo spirituali et peregrino qui apparuit ei.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

XXVIII. DE CAPITULO SPIRITALI ET PEREGRINO QUI  
APPARUIT EI.

**S**OLEBAM multo tempore cum distinctione magna mei cor-  
dis ingredi capitulum, visitans Dei contemptum et mei  
ipsius dispendium. Ejeci ergo de corde meo omnem meæ  
carnis culpabilem affectum; statuens e contra totius pœnæ  
effectum voluntarie sustinendum; amovi etiam cognatorum  
et amicorum carnalem amicitiam, et institui consequentium  
injurias patienter sufferendas. Expuli insuper amorem divi-  
tiarum et honorum, quibus mundus [peccator] gloriatur,  
et introduxi paupertatem *evangelicam* de consilio obser-  
vandam.

VI. 33.

Et hoc capitulum ingressus est Dominus Jesus Christus,  
similis [pauperi] peregrino: ad cuius introitum illuminatus  
est spiritus meus, ut adesse cognoscerem Deum meum, et  
dixi: Eia, dilecte peregrine, unde venis? Et respondit:  
De Jerusalem venio, ubi graviter vulneratus sum; ibi  
sustinui magnam despectionem, pauperiem et passionem,  
quæ attuli huc ad te. Respondi: Gratias ago tibi, mi  
Dilecte: hoc enim jam multis experta sum diebus.

Tunc unam simplicem coronam imposuit Dominus capiti  
meo, dicens: Hæc est corona paupertatis, despectionis, et  
pœnæ, quæ adhuc est imaginis meæ pulchritudine deco-  
randa. Hoc dicto, peregrinus abiit. [Unde turbata dixi:  
O væ! væ! mi dilecte peregrine. Utique] cum illo plura  
colloqui voluissem. Et respiciens sursum, vidi eum similem  
potenti Domino circumdatum gloria, et deliciis sempiternis.  
Etdixit: Benedico te et saluto te, pax mea semper sit tecum.  
Amen.

Audita est vox in qua hæc verba dicta sunt: Ecce venit  
quæ mundum contempsit, mendacium effugit, veritatem  
amavit, et me laudans benedixit. Excipiat ergo cum omni  
honore; stabiatur in veritate, benedicatur sine fine, indua-  
tur decor, coronetur dignitate, sedeat in æterna requie, sa-  
lutetur omnium linguarum genere, serviatur ei omni officio  
sitate, lætificetur omnium donorum munere.

## XXIX. DE PECCATO ET REGNO.

IV. 5.

**P**ECCATUM meum quo a te recessi, Domine, tamquam mons immensus, stat contra me, umbrasque densas operatum est inter me et te, meque aeternaliter elongavit a te. Vae mihi et iterum vae! Eia, dilectum bonum, electum praemnibus, reduc et retrah e me ad te ab omnibus. Verumtamen futuræ damnationis casus appareto oculis meis. velut ignei draconis os apertum, omni tempore me cupiens absorbere. Eia bonum meum aeternum, adjuva me nunc, ut immaculata valeam refluere in te. Domine, mea terrena conversatio est coram me sicut ager spinis plenus et fertilis, et a bonis fructibus vacuus et sterilis. Eia, Domine Jesu Christe, effunde nunc suavem tuæ humanitatis [dulcem] pluviam et calentem tuæ [viventis] divinitatis solem, et praedulcem Sancti Spiritus tui rorem, ut refrigescat molestia cordis mei, et compleantur consolatione accepta dies luctus mei. Regnum tuum [aeternum, Domine], oculis meis patet simile nuptiis nobilium maximisque gaudiis jubilantium et aeternis deliciis convivantium, ubi, [mi dilecte.] amantem sponsam complecteris, amoris avidam sine fine. Domine, omnia dona quæ percepia te sunt in conspectu meo similia plagis peregrinis ad aures meas, quoniam humiliat me hic altissimum donum tuum. Respondet cuncta tribuens Deus : Mons tuus liquefiet in amore; inimici tui nullum particium habebunt in te, agrum tuum calor solis splendoribus suis penetrabit, fructusque tuus illæsus permanebit. In regno meo nova sponsa eris, ibique osculabor te dulcissimo oris mei osculo, ut plenitudo divinitatis animam tuam pertranseat, et Trinitatis oculi semper in tuo corde dupli delectentur. Ubi tunc remanebit tristitia tua? Si tunc me mille annis rogaveris, unum suspirium non obtinebis.

---